



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Codex traditionvm Corbeiensivm

Falcke, Johann Friedrich

Lipsiae ; Gvelpherbyti, 1752

§. 26. De manso, servo et lito tradito in villa Snevithi in pago Logne, nec non de misso cæsaris Hludowici Bezzone, atque Ecberto duce Saxonizæ.

urn:nbn:de:hbz:466:1-36114



§. 26.



Tradidit meinric in uilla nuncupante *sneuthi* (X) II mansos cum aedificiis et seruum unum sine uxore similiter autem et unum litum cum uxore et infantibus eorum testes *bozo ecbert* (Y) hrodhard hildiuuart aldmer bruni mannic eddic gelo redbern uuilrec gerdac halecbert.

§. 27.

(X) Villa *Sneuthi* erat, teste Sarachone in Registro B. et P. A. C. sita in pago *Logne*. De villa Procul dubio significatur vicus *Schneen* in principatu Gottingensi. Sneuthi.

(Y) Verisimillimum est, per *Ecbertum* hic designari *Ecbertum ducem Saxoniae*, ac patrem abbatis nostri *Warini*, et *Luidolfi* ducis. *Bozo* ergo nobis vir quidam illustrius, et missus ab imperatore rerum cognitor *Hludouuico* existisse, videtur, missus, ut ipsius nomine praesto esset, cum abbas *Warinus* in abbatiam *Corbeiensem* introduceretur. Patet utique e Chronico nostro *Corbeienfi* Manuscripto, *Ecbertum* anno 826. adhuc in viuis, praesentemque fuisse cum illustrissima *Ida ac Misso caesaris*, cum *Warinus*, primus e nobilissimis Saxonibus praeful *Corbeienfis* vngeretur abbas. Putamus ergo, eodem tempore hanc traditionem esse peractam. Id ipsum quoque ex eo fit verisimillimum, quod in sequentibus traditionibus fratres *Warini* abbatis inter testes apparent. Sit itaque *Ecbertus* ipse pater *Warini*, qui teste *Vfingo* ducatum habebat super *Saxones*, qui inter *Rhenum et Visurgim* maxima flumina inhabitabant; sitque *Bozo* missus caesaris et comes, paterque *Theutbergae* vxoris regis *Lotharii*, et filius *Bosonis* comitis *Mauriennae*, satoris ducum *Sabaudicorum*. Ne autem hoc sine aliqua probabili coniectura perhibeamus, necessum est ostendere modum, quo is ad *Corbeiam* nostram accedere potuerit. Narrat *Eginhardus* *Annal. Rerum Francorum* anno 826. p. 174. iussisse imperatorem *Hludouuicum*, filium suum *Pipinum*, *Aquisgranum*, quo tunc imperator hyemabat, venire; *Pipinum* quoque cum suis NB, optimatibus, ut iussus erat, venisse. Inter hos optimates *Boso comes* esse potuit. Et quamuis perhibere voles, *Pipinum* regem paulo post reuertisse in *Aquitaniam*, ibidemque omnem instantem aetatem transegisse, neque id probabile esse, hominem, in *Italia* sedem nactum, inter optimates regis *Aquitaniae* esse voluisse; certissimum tamen est, imperatorem medio *Maii* *Aquisgrano* egressum, et circa *Kal. Iunii* *Ingelheimium* venisse, ut haberet ibidem generalem conuentum populi eumque celebratissimum, atque ut ibi legationes ex diuersis terrarum partibus et ex *Italia* quoque missas audiret atque exploraret. Incredibile ergo non erit, accessisse quo-